



V
B J
C

20

Frid. Zamell

CHARILLIDES,

ejusdem in Nuptiarum sollemnibus,

quæ cum

CATHARINA HESIA

Mariæburgi Borussorum

anno sal. n. M. DC. XXXIII. Id. Jun.

peregit,

exhibitæ.

Ex Officinâ Vendelini Bodenhausenii.

Ad Charitæum:

De suis studijs & amoribus adversus Myandrum.

QVi scelus eße putat, vel amare, vel eßc Pöetam;
Dicat is, & cælum criminis esse reum.
Quotquot enim vates, ibi quotquot habentur Amãtes,
Quis sceleris illos insimulare queat ?
Præ Phæbi & Veneris, vel amore, vel igne, Myander
Rusticus ut valeat, culta Charilli jubes.
Sed, Charitæe, tuam coluisse Charillida pergas,
Nec pudeat Phæbi numen amare tui.
Nam te rectus amor studiis his fecit amicum:
Nec scio, cur placeat causa pudica minus ?

B. V.

De

De Catharinâ Anemomyliâ.

QVas habet egregias, jactet mea Patria Nymfas:
Ibit in amplexus extera virgo meos.
Dicere cũi poßim; Mihi Tu carissima sola es;
Vrbe Nogadinâ visa puella mihi est.
Pulcra quidem facies; sed mente venustior ipsa:
Dulcis & alloquio; sed quasi jussa loqui.
Sic ubi quæsißem; si sunt hæc vota parentum,
Hospes care, potes carior esse mihi:
Reddidit. Abnuerint? inquam. Tuus integer in me
Me penes haut meritâ laude carebit amor.
Dixerat. Infixi tacitis ea verba medullis.
Scilicet ingenui signa pudoris erant.
Turpe & inhumanum est; vulgarier antè per vrbem,
Et pueris dici nomen utrumq; proci.
Si visum; tandem vir eris Iunone secundâ.
Est, quo displiceas? fabula, ludus eris.
Fortè salutatâ fingebat virgine mater,
Nataq; conjugium me periisse suum.
Somnia, quæ fuerant horis vigilata diurnis,
Vt didicêre nurus; innotuêre viris.
Hinc Æglen alibi dicebar amare negatam,
Heic mihi sed Glaphyran irrita fama dabat.
Si vigor & census; cur me vicina fatigent,
Regnet & in famam vana puella meam?
Pars Tua penè mea est: non est, Catharina, parentes
Vt pugnent, votis jam mea tota meis!

Ad Cathrulam

Vidi

VIdi ego Te patrio, mea mustea Cathrula, fundo.
Quàm bene, Te cultus tunc posuisse Tuos!
Dum moror, & nunc hoc nunc illud spernere possum;
Spectator morum captus amore fui.
Respexi ad faciem. Sine cultu tota placebat.
Perpetuos placeas sic mihi, Nymfa, dies.

Ad eamdem

De Staphyle, quam describit in amorum libris.

CAthrula, an invideas; Staphylen si dixero? nil est.
Ingenii Staphyle, Cathrula, lusus erat.
Fictum, inquis, nomen: sed fortè qua vera latebant,
Cathrula, an è cornu cor me habuisse putas?
Et plebis pueros & natos patre beato
Adspice, remq; puta. Summus & imus amat.

Ad eamdem

FOrmosa in Staphyle poterant mihi cuncta videri.
At talem cæcus non mihi finxit amor.
Quicquid virgineo fuit usquam in corpore pulcrum,
Hoc Staphyles finxi corpore inesse meæ.
Hinc ubi Te vidi male cinctam rure paterno;
Dilexi. Staphylen visa referre meam es.

Ad eamdem

CAthrula, cùm mores & mens integra placerent,
Nec vultûs esset non proba forma Tui;
Sic ego dilexi, ne non fas esset amare,
Et factâ posses carior esse fide.

De

De Catharâ in Myandrum.

EST quidam fatuus, Myander ille est,
Omnium rudis elegantiarum,
Omnium rudis artium bonarum,
Terræ pondus inane, dedecusq;
Patriæ, gula totus atq; gurges:
Qui, postquam Catharas amore captus
Hanc rerum sociam thoriq; mallem,
Dixerat Catharæ parentibusq;
(O quantum scelus!) esse me Poetam.
Quid hoc sit studij, quid hinc timendum,
Ipsis audierint ab eruditis.
Perculsi subitò rogare multos,
Ipsum deniq; me rogare multùm.
Dixi: scribere quàm piè Poeta,
Quàm dextrè ingenuos docere mores,
Scitè ludere quàm Poeta posset.
Reddebant: fatuus Myander ille est.
Arrisit Cathara, & quis, inquit, isthæc
Damnet, cuî ratio est? sed his Myander
Vacaret! fatuus sed est Myander.

Ad Cathrulam.

HEri me Hippolytus sedente juxtà
Te meâ Cathrulâ rubente pomo
Cùm donasset; an hoc sit inveniri,
Inquit, gratius? id palam negabam.
Diversum, Cathrula, in Tuam sed illud
Mussabam auriculam: Illa poma malo;
Quæ meæ Catharas leguntur horto.

Ad eamdem

NOn jacto, Catharina, meos in vulgus amores;
Nec celebris versu fit Tua forma meo.
Ne Te credideris sperni Formosa videris
Omnibus: at soli sis mihi cara volo.
Vana tulit tristem multis jactantia finem,
Exitio magnis Regibus illa fuit.

Ad eamdem

TE sine si, Catharina, velint mihi parcere Parcæ,
Quâ sine nulla mihi parcere Parca potest;
Attamen exiguo si parcant tempore, siq;
Iacturâ nostrî Tu redimenda fores;
Perdere id exiguum nolim, stolidusq; perirem;
Cuî DI, si peream, fata lucrosa darent?
At quoq; tunc dederint; ut, cúm sis ipsa superstes,
Ad sensus redeant munia prima meos,
Non ego prætulerim Ledéæ gentis amorem,
Vt ponas, vitam me repetente, Tuam.
Nam mihi vita foret fatis hœc tristior ipsis;
Si caream in vitâ Te, mea vita, meâ.
Hæc loquor expertus, quoties dilecta recessi,
Et Tua sunt oculis vulta negata meis.
Nam toties illis fax clara recedere Solis,
Et fera nox pulcram visa negare diem.
Quòd si non noster Catharina amor errat, & ipse
Victus amore Tui ludor amore meo,
Non aliâ quandoq; animum formidine misi,
Quàm cui morte citâ pallida membra rigent;
Si rapiunt venti non profectura loquentis,
DI Catharina tamen Te superesse velint.

Ad

Ad eamdem

DIlectam Catharan virides comitabar in hortos:
Quà florum variis struxerat ipsa thoros.
Protenus hos obiens vernantia lilia vellit,
Talis & æternùm sit Tuus, inquit, amor.
Inde thymum niveâ admiscens in munera dextrâ,
Tam dulcis nostrî sit Tibi, dixit, amor.
Cathrula, inest aliis facies formosa puellis:
Queis juvenum satius conciliatur amor.
Vt Tu præ reliquis sat amêre superq; puellis,
Si Tua non facies, ora diserta darent.
Sed præstas gemino non me uno teste decore,
Virgo sit ut cultûs æmula quæq; Tui.
Cathrula, si nobis Deus annuat æquior, optem
Versibus has Veneres hæc mera mella meis.
Et cur non, si se Venus in Te quæreret extrà,
Teq; sui divam ferret Apollo chori?
Quin, Catharina, meis Tua subjicis oscula labris:
Svaviolisq; hilaras pectora nostra Tuis.

De eâdem

IVpiter ætherias nimbis prætexerat arces,
Ruraq; fœcundis lata rigabat aquis.
Longa via ad Catharan. Pergo obluctantibus Austris
Effusâ madidus totus ab imbris aquâ.
Nil agitis, dixi: non hos extinguitis ignes,
O pluviæ: has ponet nulla procella faces.

Ad eamdem

CErtè aliquid, Cathara, est: quod vos commendat amãti.
Formam in Te, Cathara, & felle carens cor amo.

Marsira

Marfira nec faciem nec mentem habet. Improba corde est.
Prudenti placeat stulta puella viro?
Est tamen, est aliquis, cui sola est Marfira cordi.
Miraris, Cathara? stultus & ipse vir est.

Ad eamdem

QVæsitum in mensâ est, plures cùm fortè sederent,
Ad cœnam cùm me Teq; vocaßet amor.
Nunquid dulce magis, quod barbara fundit arundo,
An quos arte favos Attica cogit apis?
In partes abiêre. Ego mecum ita, quicquid inirent:
Mî mage sunt Catharas basia dulce meæ.

Ad eamdem

TOta mihi, Catharina, places, formosaq; tota es:
Nec nævus, qualem Naso probaret, inest.
Seu spectem oblatam, facies speciosa moratur:
Sive recedentem, colla pedesq; tenent.
Namq; illeic quòd non tamtùm sine crimine cervix,
Quam niveum vestit Pygmalionis ebur,
Sed tener hos raræ quoq; mulleus ambit alutæ,
Quem gracilis fultrum tollit Atlas humo,
Quàq; utrimq; patet per hianteis purpurat orbes
Pes, qualem in vobis carmina nostra probant.
Hac Catharina etiam miror Te parte decoram:
Quæq; neges stimulos esse furoris, amo.
Seu procul adspiciam, seu me via proxima jungat;
Cathrula, tota nites: Cathrula, tota places.

Ad eamdem

NVlla magis, Cathara, est vobis res ficta puellis.
Vix variam finxit tam bene Naso Thetin.

Hanc

Hanc faciem vicina videt: pater adspicit illam:
Nos aliam. Res hæc vos juvat: hoc sapere est.

De Catharâ

CRedite vos juvenes, exercita pectora ludo:
Vobiscum invigilat nulla puella libris.
Has natura suâ doctas tamen indole præstat.
Est vigor, & nullo virgo docente sapit.
Et licet ignorent magni Demosthenis artem;
Verba puellarum nectaris instar eunt.
Sæpe feros illis animos mitescere cogunt:
Sæpe dedêre manus corda diserta virûm.
Quærebam ex Catharâ, cùm tollat sputus & äer
Oscula, cur toties oscula nostra petat.
Tecum animo sum, reddit, idem: sim corpore mallem:
Nec sum adeo frustra parte potita Tui.
Et dabat amplexus & verba novissima: dum non,
Quod volumus, sumus hoc; est in amore labor.

De eâdem.

POst luctum ingentem, Catharæ quo funera flevi,
Quamlibet in lacrumis carmina cogit amor.
O mentem: cujus præsagia certa sequebar!
Nondum de nostro pignore mater erat.
Mascula progenies, vir, erit, dulcissime, dixit.
Sæpe illud dixit: sæpe imitatus ego.
Ergo ego de puero consortem multa rogabam;
De puero consors seria verba dabat.
Iamq; dies aderat, quæ meq; illamq; parentem
Reddidit: En pupum, sic ait illa, Tuum.
Et dabat amplexus, & in his dabat oscula nobis:
Deq; meo collo dulce pependit onus.

Brachia dimovi (lecto satis ægra sedebat)
Et tamen admovit, cùm posuisset anus.
Taliaq; ô minimè vates tunc vera ferebat:
Absueris nostrâ cùm, vir amice, domo;
Ludendo mecum longas puer exiget horas:
Sæpe patrem referet, sæpe referre volet.
Dixerat. Infesti rediêre incendia morbi:
Corpore quæ toto parturientis erant.
Febribus exhaustæ non presserat ubera matris:
Quem nostri verum pignus amoris amo.

Ad manes defunctæ.

O Etiam á fato nobis carissima conjux,
Incola fulgentis nunc Catharina poli!
Dilecti generis sublata est ultima, mater:
Spes est in reliquis non bene tuta meis.
Accisæ res sunt. Quid corda injuria dicam!
Et quia Mars sævit; plus minuuntur opes.
Assideo libris: aut sunt mihi publica curæ.
Negligit, aut perdit rem mihi serva manus.
Quærere consortem cogor, socerumq; faventem.
Idq; puer dudum poscere visus erat.
Credite vos manes. Pia sit, quamcunq; petemus;
Hanc Catharæ fingam pectus habere meæ.

Ad filium Gotofredum.

NAte, libros cura: nostrosq; imitare labores:
Et Tibi maternæ sit pietatis amor.
Ingenij studiis operabar paupere sumtu:
Tu sat opum caræ morte parentis habes.
Vixisset! si quid fugeret me, nate, docentem;
Hoc matris poterat vita monere Tuæ.

Tumulus.

Catharinæ Anemomyliæ.

HÆc Tibi, qui partem vellet posuisse dolorum,
Mitiùs aut fatum se d. luisse Tuum,
Busta dat in luctu, dulcis Catharina, maritus:
Quo vigor hic abiit: qui Tibi gratus erat.
Quis tot opes uno non flere in corpore posset,
Sincerâ mentem relligione piam,
Non fictum morem sed ab illâ mente profectum;
Quove potest uxor carior esse viro,
Et quæ ? Sed placidam, consors mea, carpe quietem,
Consumtum lacrumis mox habitura virum.

Obiit sanctè anno sal. n. *M. DC. XXIX. Non. Febr:*
postquam triduo antè, qui dies Purificationi matris Christi sacer est, natum unicum genuisset, ipsa eodem die annos nata esset XXI, *vixisset cum marito annum un. mev.* III. *dies* XIV.

Viro Excell. Consultissimo D. GREGORIO HESIO V. I. D. ProCos. Mariæburg.

NVper ut accessi divinæ Virginis urbem,
Intrabam socrûs hospita tecta meæ.
Fata meæ Catharæ parvâ cum prole querebar;
Quam fidei pignus liquerat illa suæ.
At socrus: non has mea nata redibit in auras.
Quod si vis talem nomine req;, loquar.
Hesias hæc nostra est. Fac, spectes ora puellæ.
Cætera crede mihi, moribus esse probis.

 Vt

Vt vidi, tacito concepi pectore flammam:
Sæpe illud dixi: Tu mihi sola places.
Audivit (pater ô caræ mihi virginis, Hesi,
Quem fasces decorant vrbis, & alma Themis)
Audivit socrus, retulitq; audita marito:
Auribus insonuit qui mea vota Tuis.
Certiùs ut nôris; me non prohibente fatebor,
Hunc pro me tecti limen adisse Tui.
Vivis uterq; parens: mihi jus concedite vestrum.
Tertia pars natæ est: hanc dabit illa mihi.

De Catharâ

INveni Catharam: dulcis Catharina revixit;
Nec premitur busto jam mea costa suo.
Iam thalamos repetit dulcis Catharina priores:
Rursus in amplexus itq; reditq; meos.
Esse negas vultus, hanc quisquis cernis, eosdem.
At Cathara hæc animo est, quod fuit illa. Sat est.

De eâdem

NOmina sunt eadem: discrimen in ore pusillum.
Si minor, unciolâ est hæc Catharina minor.
Mens, quâ prima fuit. Primæ dixêre parentes.
Non fallet nostram socrus amica fidem.

Dn. Greg. Hesio D. Procos;

VErba ego de Philyrâ feci, socer alme, receptâ;
Filia quò conjux hæc Tua nostra foret.
Lætetur Philyrâ Septemvir Saxo receptâ:
Gaudeo, quòd Cathara est una recepta mihi.

De

De Catharæ amore

FLuminaq; & saltus mea mens camposq; virenteis
Transvolat, ut spectet virginis ora meæ.
Exiguum terræ spatium, sed amantibus ingens:
Quoq; mihi abjunctam se Catharina dolet.
Trade Tuas aliis, Drusis formosa, puellas.
Hoc quod habes, aliâ mittitur vrbe mihi.

Somnium Catharinæ

VIderat in somnis volucrum Catharina catervam
Sub lucem: quâ me vidit adire patrem.
Has erat inter aves, quæ me complexa paventem
Abripuit patriâ (sic ait illa) domo.
Nec simulacra meos luserunt irrita sensus
Nocte sub hac, lætam quæ tulit acta diem.
Virgo cubile meum tenebris malè cognita densis
Verbaq; non referens, dum tremo totus, adit.
Protenus apprendit nostram temeraria dextram.
In tactu sensi virginis esse manum.
Luce novâ venit rerum mihi certior index
Litera; quæ dixit: Iam Catharina Tua est.

Ad Cathrulam

CAthrula, crede mihi: non omnia somnia fallunt.
Si qua fides illis; est tribuenda Tuis.
Abductam patriis post sacra jugalia tectis
Imponam thalamo Te, Catharina, meo.
Drusinas inter nomen profitebêre matres:
Et dices: heic vir, Larq; focusq; meus.

Ad

Ad eamdem

OScula sumuntur cunctis ex more diebus,
Mœnia cúm claudunt, quos juvat vnus amor.
Tam dulcem sponsis morem tot gaudia nobis
Sedecies passus, Cathrula, mille negant.
Sed venient Soles, venient mea Cathrula noctes,
Cûm dices: Ea jam non mea damna puto.

De eâdem

CHristipara postquam rediissem Virginis vrbem,
Conveni Catharan: quæ mihi caussa viæ.
Quærebam ex illâ; cúm nondum acceperit aurum,
Sancta nec in nostras venerit arrha manus;
An primis abeat vota in contraria votis?
Iam nisi junxisset Te mihi, dixit, amor.

In Ollum

OLLe, aliquid damnas: quod nescis dicere crimen.
Hoc nihil esse putat, qui meliora videt.
Si fugis ad medium Te rectè exquirere Ianum;
Olle, domi Temet respice: turpis homo es.

Ad Cathrulam

CAthrula, sume meos inter mea munera amores:
Sume animum hunc & cor, Cathrula, sume meum.
Nil mihi Tu referes: nec donat si qua pudica est,
Cathrula; sed pectus munera dantis amat.
Iam puto docta tenes; quid Te, mea Cathrula, poscam:
Hoc, quod dat geminis nulla pudica; fidem.

Ad

Ad eamdem

SPerabam Batavas ingentia nomina Musas:
Ornarent nostras quæ Catharina faces.
Iam nomen didicêre Tuum, nomenq; parentum:
Iam nôrunt censos in sacra nostra dies.
Si desunt, breve tempus & ingens efficit æquor.
Sic Catharan canto verior ipse meam.

Ad Procer. Mariæb:

NOn mihi virgo, Patres, vestris abducitur oris:
Quod facinus quidam dixerat esse meum.
Me Catharina virum sequitur. Pars maxima vestrî est,
Cui patrium est cœlum, quod genitale mihi est.
Sint vobis bona nostra, Patres. Minus esse fatetur
Publica res; vestrâ si quid ab vrbe peto.

Ad Cathrulam

OCtavum geminæ messis post tempora lustrum
Exigo: Tu quintum, Cathrula dulcis, agis.
Vt messes, nostrûm quot vixit uterq;, supersis;
Et, quot erant, superes lustra deinde, precor.
Di mihi, quot visum est, dent Tecum vivere Soles.
Si quis erit niveus, sæpe sit ille dies.

Ad eamdem

LAudavi patrias in nostrâ Druside nymfas:
Queis Charis ingenium finxerit, ora Venus.
Invideas nostris ne Tu, Catharina, puellis.
Venit & ad vestros tam bona diva Lares.
Cùm satius nostris oculis Tua forma placeret;
Hanc partem volui Drusidos esse meæ.

Ad

Ad eamdem

NOn habet ars vsum: dicit, qui carminis artem
Nescit, & hanc nullo ponit habetq; loco.
Scripsi ego versiculos Catharinæ fassus amorem:
Nec vultum erubuit nostra Camœna patris.
Legit, & ingenium genitor laudavit amantis:
Digna hoc ingenio mens quoq;, dixit, erit.
Quid Momus sapiat, quid Codrus iniquior illo
Invideat, curas res fugit illa meas.
Pieridum studiis constans mihi gloria parta est:
Debeo carminibus Te, Catharina, meis.

In Rubicellam

ET faciem & mores in Te, Rubicella, probavi.
Carmine sic celebris multa puella meo est.
Ne, Rubicella, putes; ideo me condere versum,
Vt thalamos intres sponsa petita meos.
Ducturus numquam coluit Petrarcha puellam.
Laudavi plures: ducitur una mihi.

Ad Catharinam

QVàm rectè vivit munus, Catharina, secutus
Quisq; suum, quòd si tempore digna facit.
Hæc Tibi nunc tribuo, patriæ civiq; daturus
Et suboli & famulo, quod pia caussa jubet.
Objecit nuper concessos Vatibus ignes,
Qui nec amat patriam, sed nec amat subolem.

Ad eamdem

DRusida turrigeram nondum mea Cathrula vidit:
Nescit, quâ Sponsi stet regione domus.

Tecta

Tecta patris linquet, notosq; relinquet amicos;
Et mea cùm fuerit Druside tecta colet.
Ostendam thalamos primùm Tibi, Cathrula, nostros:
Pòst urbis disces me comitante vias.

De eâdem

TAm citò cur dederit, nostramq; secuta rogabam
Sit Catharina fidem? reddidit illa mihi:
Esse nefas duxi, dulcesq; habuêre parentes,
Certa nec ignoti ducere vota proci.
Hoc ipsum citò sit vel non, dixêre, quod optat.
Sed, nisi Tu pugnas nata, vir esto Tuus.

Ad eamdem

COr, Catharina, meum cùm Te voco; nominor á Te
Cor, Catharina, Tuum. Sic, Catharina, refers.
Si natam appello; reddis, Catharina, parentem:
Sin matrem dîco; nil, Catharina, refers.
Scilicet has voces Naturam spernere nosti,
Majori lustris quas negat illa tribus.

Ad Patriam

NOvi ego Te nostras, mea Drusis, amare Camœnas.
Ipse Tui patriæ tangor amore meæ.
Oblectent oculos quamvis foris edita nostros;
Sub patrio carpas sidere, pluris emes.
Nescio, de solis quæ mutet caussa puellis.
Quæsita est thalamo bis peregrina meo.

In opicos.

ESte procul procul hinc olidæ vaga turba tabernæ,
Caupones, lixæ; turpia corda lupæ.

Casta Venus nostra est: legat hæc quæcumque pudica est.
Nil facit ad vestros sobria Musa sales.
Si tamen obscœnæ patimur ludibria mentis;
Præsidio stabunt carmina nostra suo.

Ad Cathrulam

SÆpe rogat missis ad me mea Cathrula ceris;
Vt Mariana petam mœnia, tecta patris.
Cathrula, longum iter est: & deperiêre quadrigæ:
Conductisque utor, si quibus utor, equis.
Oscula mille dares, atque altera mille deinceps.
Si dederis, nec plus, tristior ibo domum.

Ad eamdem

TRansivêre dies: & lux suprema refulsit,
Cathrula: quâ thalamos ingrediêre meos.
Veni ego, meque unà Sponsum venêre secuti,
Grata cohors nobis, pars ego cara Tui.
Iam Te suaviolis laßabo, Cathrula, nostris?
Oscula sunt aliquid: nunc mihi plura licent.

Ad eamdem

CArmina nostra legens, mea Cathrula, fortè negabis
Hæc atque illa Tuis mißa fuisse labris.
Cathrula, da veniam: da, Cathrula, moribus illis;
Quos vates animi nobilioris habent.
Est genus hoc vatum, quod vos ait eße disertas,
Et vobis tribuit, quicquid ab arte petit.

De Catharas amore

NVper ego egregii rus parvum aditurus amici
Per liquidum segni puppe ferebar Habum:

Cynthia

Cynthia noctivago conscenderat æthera curru;
Puraq; sub tremulo fulsit imago lacu.
Tempestas actæ fuerat nitidissima lucis:
Formosus totis Sol radiârat aquis.
Et Catharæ & nostros mecum meditabar amores,
Ad superos mittens talia verba deos:
Si pontum hic ignis noctesq; diesq; lacessit;
Muneris est vestri, DI, quoq; noster amor.

Ad Catharinam

TV Catharina Charis mea, Tu Catharina Charillis
Altera es: hocq; ipsum es, quod Catharina prior.
In patriâ fuerat vobis mens una puellis.
Hunc animum thalamo redde, Charilli, meo.

Ad eâmdem

FErre meos poteras amplexus, Cathrula, dixi;
Imprimerem ut labris oscula nostra Tuis,
Dum neq; notus eram? Cùm tecta paterna subirem,
Quærere Te memini; qui vir, & unde forem.
Illa sed: ut nôrim, nec sis pars altera nostrî;
Hæc fugerem, quæ jam nemo licere negat.

Ad eamdem

FElices nimiùm, raràq; in sorte puellæ:
Carmina quas Vatum non moritura canunt!
Esse aliquid, Catharina, puta; quòd raptus ab antris
Mæonidum Famæ lucida templa peto.
Lesbia dicetur, semperq; Corinna legetur:
Carminibus vives Tu, Catharina, meis.

De eâdem

QVæsierat nuper tectis egressa paternis
Cathrula; quâ sita sint Drusia tecta plagâ.
Arrisi, ut comites retulêre: &, linquere patrem,
Quâq; vir est, dixi, jam parat ire domum.
Naturæ monitum est: memorantq; oracula vatum,
Cathrula; naturæ sic statuisse fabrum.

In Codrum

COdre, tumes nimiùm: caussâ ne rumpere nostrâ:
Semper ut invideas; hoc Tibi, Codre, precor.
Me, Catharanq; meam placidus non deseret ignis.
Invidiæ deerunt non Tibi, Codre, faces.

Ad Catharinam

REgna viri cernes nostros Catharina, Penates:
Et vidui ostendent se Tibi damna Laris.
Multa foco deerunt, geniali plurima lecto:
Fractum instrumentum, tritaq; vestis erit.
Duriter impactum tabulis nutare videbis
Cantharon: & rimas quassa paropsis aget.
Quinta mihi teritur Catharæ post funera messis,
Arbitrio cùm non res mea gesta meo est.
Parva tamen sunt hæc: quod erat lacrumabile, mitto:
Terra quod & cineres & sua caussa tegit.
Tu mala nostra leva pulcras, Catharina, per artes:
Quas mater docuit, jussit inesse pater.

Ad Paullum

DIcis, sub patrio sperni mea carmina cœlo;
Et Phœbum & Musas, Paulle, jacere novem.
Quid

Quid mirum? quamvis gelido sub sidere mirum,
His studiis animum posse vacare meum.
Est Italis laudi, laurum meruisse Poëtæ.
Nullus honor Musis sub pigriore polo.

Ad eundem

PAulle, mihi satis est; Catharæ placuisse Poëtam,
Carminibus socero me placuisse meis,
Absolvi nostro Regum præconia versu,
Hoc frangi curas Sole cadente meas.
Et vestras olim condam, bona pectora, laudes.
Libera Musa mea est: sordida turba vale.

Ad Spectab. Ampliß: & Consultiß: virum D. Ioannem Pfenningium Burggrab. Mariæb. Consiliar. Electoral:

NOte mihi primis, cœlum quibus hausimus, annis,
Et sub quo sapui pollice juncte mihi,
Vrbis honor patriæ, quo rem moderante Borußæ
Parthenopes digno res Tua, Iane, loco est,
Fata hominum, sortesq; vides. Tu missus ad vrbem es:
Tradita quâ fidei munia prima Tuæ.
Hinc Tua me nuper pupilla secuta maritum est:
Nunc mihi sed nubit nata tribule Tuo.
Quid struimus? condunt nostram pia Numina sortem.
A Superis nostri meta laboris erit

Ad Spectab. & Ampliss: Virum Dn. *Joannem Zeßelium Præcos. Mariæb.*

ZEßeli, patriæ sidus prælustre: Patrumq;
Portio; cûi fasces vrbs Mariana dedit,

Adfini

Adfini thalamis conjunctum sanguine nostris
Fœderibus porrò Te mihi jungo novis.
Si quid amas cives, si quid Collega requirit;
Iura meæ debes nunc potiora domo.

Ad Excell: & Consultiss: virum
Dn. Gr. Hesium. Proc. Mariæb.

CLare vir, Aoniæ cui serta dedêre sorores,
Os coluit Peitho, pectus honora Themis,
Cujus ad extremam probitas integra senectam
Præclaros habuit, quotquot iêre, dies;
Quàm lætor, tamto dici me nomine dignum,
Qui fiam natæ virq; generq; Tuus!
Mittat Atlantiades vanas in fœdera mentes:
Quas lucri stimulat sordidioris amor;
Me mea caussa juvat. Patriis à moribus hausit,
Quo probet ingenio se Catharina meo.
Iam quid amem in socero, vel cuivis dicere promtum.
O senium, ô doctum pectus, amansq; boni!

In Agriam

FAtidicas nuper quæsiverat Agria sortes,
Quem finem Catharæ quem mihi fata darent.
Nec Phœbi tripodes, nec quas Ægyptius erro
Concinnat voces, Agria, Numen habent.
Agria, crede mihi: Tu toto corpore palles:
Agria, Tu tussis: jam Tibi finis erit.

De Catharâ

OBvenisse mihi, qualem juvat esse, maritam;
Esse probis Catharan moribus; esse piam;

Nosse.

Nosse, quibus frugigenitrix inclaruit, artes;
Deniq; duratum pectus habere malis;
In me divini sunt argumenta favoris:
Nec curam Superos deseruisse mei.
Iam tristes querulus non excitat Adria fluctus,
Non abit in tamtas ulla procella minas;
Quàm mala sunt, nostram quæ concussêre carinam:
Qualibus, ut vellem, non periisse datum est.
Mutârunt Austros spiracula læta feroces:
Impellitq; ratem mitior aura meam.
Hac ego cum Catharâ tranquilla per æquora mittar;
Stabit & optato res mea deinde loco.

Ad Paullum

FVlvia non plures numerat quàm Cathrula messes:
Fulvia sed vidua est, sed neq; prole caret.
Cùm mihi virgineum servaret Cathrula florem,
Servabat thalamo gaudia prima meo.
Cathrula non alios nostris componet amores:
Integriùs discet vivere more meo.
Si quid erit duri, placidâ quod mente ferendum;
Simpliciùs credet, sortis id esse suæ.
Iam Tibi, Paulle, liquet; quare, cùm floreat annis
Fulvia pulcra satis, sit mihi lecta minùs.

Ad Cathrulam

SÆpe leges nostros de Te, mea Cathrula, versus:
Sæpe, quod in mensâ dixeris inq; thoro.
Parce, inquis: nec, si cùm nondum nupta puella est,
Vatum amor in pretio est, nupta canenda viro est.

Cathrula,

Cathrula, nil populo dulci de conjuge dicam.
Nequitias nostri carminis una leges.

In Bardum

CArpere Te didici mea carmina, Barde, facesq;
Pectore quas nostro blanda Charillis alit.
Et cor, Barde, Tuum Paphii subière calores:
Tu quoq;, cùm satur es, carmen agreste canis.
Cùm licitè flagrem, mea sint mihi carmina laudi;
Traducunt nomen nec mala corda Tuum.

Ad Cathrulam

CAthrula, non temere transisti in fœdera lecti:
Non temere Tuus est conciliatus amor.
Non opibus subnixa fides nos, Cathrula, junxit,
Non epulæ molles, nec furiale merum.
Lux erat orta recèns; quâ patris adivimus ædes:
Te primùm ut vidi, lux erat orta recèns.
Vota pater pro me pro Te, mea Cathrula, fecit:
Fudimus ad Superos ipse ego Tuq; preces.
Numine sancitas firmabunt Numina tædas:
Et qualem sperat mens pia, finis erit.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019523

